



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Text

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

Ego Fabius, Dei & S. Sedis gratia Episcopus Neritonen-
 sis ac Nuncius Apostolicus, omnibus & singulis
 tuorum interest, veritatis documentum ac salutem
 in Domino sempiternam. Quamvis extraordinarii
 muneris mei, ab Apostolica Sede mihi commissi, cura, eam
 solum, de qua Monasterii inter Catholicos agitur, Pacem con-
 cernat; extraordinariæ tamen Legationis officio mihi pariter
 ab eadem Sede Apostolica injuncto, attendere debeo, & cave-
 re, ne etiam alibi, ac præsertim intra ejusdem Legationis limi-
 tes, Dei Ecclesia atque Apostolica Sedes, in suis Bonis, Juribus,
 Immunitatibus, Privilegiis, & quod caput est, in divi no cultu
 ac salute animarum, detrimentum accipiat. Quapropter eos
 Principum ac Statuum Catholicorum Legatos Osnabrugii
 cum A catholicis Pacem tractantes, requirere, admonere, hor-
 rari, obtestari, non desistebam coram, antequam se eò confer-
 rent, tum literis postmodum aliisque adhortationibus, ut ubi-
 que & in omnibus, Catholicæ Religioni, animarum saluti, A-
 postolicæ Sedi, ejusque dignitati & immunitati, consulerent,
 ac Dei potius protectione causæque bonitate magis quam Po-
 liticis rationibus confisi, nihil prorsus à dictis regulis divino
 humanoque jure præscriptis alienum admitterent; si quid vero
 in contrarium ab eorum nonnullis fieret, non tantum omnem
 consensum, favorem, conniventiam, per me denegari, sed pa-
 lam etiam contradici atque acriter repugnari. Quemadmo-
 dum si quid contra attentatum fuisse accepi, obstiti, & omni
 studio, quantum in me fuit, impedire, corrigere, & in melius
 reformare conatus sum.

Cum verò his non obstantibus, in dicta Urbe Osnabru-
 gen-
 si, de pluribus Pacis articulis seu conditionibus inter quosdam
 Legatos conventum fuisse dicatur, post Christianissimi Regis
 Galliarum ac aliquot Statuum Imperii Legatorum ad hanc Ur-
 bem adventum, quæ Dei honori, Ecclesiæ, saluti animarum,
 atque Apostolicæ Sedi, grave damnum ac præjudicium creent,

Bbb

id

PROTESTATIONES

id quod reliquum mihi est facio, omnibusque ejusmodi Articulis & singulis, ac si de verbo ad verbum hic forent expressi, nomine S Sedis Apostolicæ ac S. Patris nostri Domini Innocentii divina providentia Papæ Decimi, apertè ac palàm per patens hoc Testimonium repugno, resisto & contradico, atque omni meliori modo, via, causa, & forma, quibus pro officii mei ratione teneor ac possum, protestor, eos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos.

In quorum fidem & perpetuam memoriam idem Testimonium manu mea subscriptum, ac majori Sigillo munitum volui.

Datum Monasterii Westphalorum in Aula Residentiæ nostræ apud Minoritas, die 14, Octobris Anno 1648.

L. S.

*Fabius, Episcopus Neritonensis Nuncius
Apostolicus.*

Ego